

POSITIONES MEDICAE INAUGURALES  
DE

IRRITABILITATE ET ALIIS  
QUIBUSDAM MEDICINAE CAPITIBUS

QUAS  
ADSPIRANTE SUMMO NUMINE  
*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris*

ALBERTI VOGET,

S. S. Theol. Doct. & Professoris Ordinarii,  
NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque  
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICAE decreto,*  
PRO GRADU DOCTORATUS


Summisque in MEDICINA Honoribus &  
Privilegiis rite ac legitime consequendis,  
*Eruditorum Examine submittit.*

STEPHANUS MATYUS,

HUNGARUS TRANSYLVANO-SICULUS

E SEDE MARUS,

*Ad Diem xi. Junii, H. L. Q. S.*



TRAJECTI AD RHENUM  
Ex Officina JOANNIS BROEDELET  
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI. MDCCLVI.

*Ut Alimenta sanis Corporibus Agricultura, sic Sanitatem aegris  
Medicina promittit.* Cels. Lib. I. p. I.

*Medicinae praecipue efficacissimus magister Usus.*  
Plin. sen. L. xxiv.

*Non eadem ratio est sentire, & demere morbos.  
Sensus iners cunctis, tollitur Arte malum.*  
Ovid. Trist. Lib. 2.

*Temporibus Medicina valet: data tempore profunt,  
Et data non apto tempore vna nocent.*  
idem de Remed. Amor.





## POSITIONES MEDICAE INAUGURALES

DE

### IRRITABILITATE ET ALIIS QUIBUS- DAM MEDICINAE CAPITIBUS.

- I.** Irritabilitas recte definitur per illam corporis animalis conditionem, qua fibrae ejus aliquomodo laeessitae sine insigni in latitudine augmento seipsas concrispando accurtant.
- II.** Irritabilitas, elasticitas, sensibilitas sunt proprietates corporis omnino diversae.
- III.** Sensibilitas & elasticitas possunt adesse in aliqua parte ubi exulat irritabilitas: sicuti & irritabilitas sine sensibilitate locum habere potest: at elasticitas, si forte pulpam nervorum exceperis, ubique se diffundit.
- IV.** Irritabilitatis sedem in fibris muscularibus, sensibilitatis vero in sola nervorum pulpa quaerimus.
- V.** Partes mere tendinosae & membranaceae cellulosae & duriores, puta, expansiones aponeureticae, meninges, pleura, peritoneum, periosteum & quae ex his oriuntur, sola elasticitate gaudent.
- VI.** Simplex fibra irritari sive ad motus spasmodicos concitari nequit, sed ut haec mutatio contingat, fasciculum ex duobus ad minimum fibris compositum adesse debere judicamus.
- VII.** Etsi ob subtilissimam fibrae muscularis fabricam perspicere nequeamus, quomodo levissima ad sensum causa adeo ingentem effectum sive tam validam partis contractionem excitet, id tamen mere mechanice ex speciali fibrarum fabrica evenire nulli dubitamus.
- VIII.** Si in parte aliqua fibras musculares adesse debere rationabilis oeconomiae animalis consideratio suadeat, quamvis

- cae oculis observari, vel causticis teneras ejusmodi fibras in momento destruentibus, aut ob densiorem partis texturam, ad spasmos concitari nequeant, exinde partem talem irritabilitatis expertem dicendam minime putamus.
- IX. Nulla pars vasculosa, arteriosa scilicet vel venosa, potest carere irritabilitate.
- X. Etiam si vitam sine irritabilitate solidorum subsistere posse non intelligamus, primum tamen vitae principium rectius quaerendum esse in libero causarum irritantium ad locum irritandum accessu, quam in ipsa post mortem quoque diu satis perseverante irritabilitate, censemus.
- XI. Quum aliam causam irritantem in primis viis praeter chylum, in aspera arteria & pulmonibus praeter in- et expiratum aërem, in reliquo vero corpore praeter sanguinem arteriosum & fluidum nerveum non inveniamus; vitae principium in libero horum per suos canales quaquaversum itū atque reditū constituimus.
- XII. Ad motus quidem naturales & vitales irritabilitatem cum statim allatis causis irritantibus debito mechanismo confortatam sufficere, verum ad motus animales animam causas irritantes pro arbitrio regentem in auxilium vocandam esse contendimus.
- XIII. Tantum abest totam cutis fabricam, imo ipsas etiam papillas cutaneas esse in solidum substantiae nerveae, ut potius maximam earum partem ex vasis & parenchymate conflari felicissimae anatomicae injectiones abunde demonstrant.
- XIV. Epidermis est merum mucī viscidī e vasculis cutaneis exhalantis inorganicum concrementum.
- XV. Ungues & cornua sunt e substantia & natura epidermidis.
- XVI. Tunica reticulosa in cute non reperitur, & membrana in lingua vitulina a Malpighio exhibita erat mucus sub epithelio per coctionem condensatus.
- XVII. Non dantur glandulae cutaneae, verum ab aliis sic dictae sunt cryptae cutis sebaceae.
- XVIII. Pili non sunt nervorum aut arteriarum productiones,

- sed sunt singularia corpora e cryptis sebaceis enata & fuc-  
cum nutritivum haurientia.
- XIX. Dentes formaliter in maxillis infantum non praeexi-  
stunt, sed e muco informi in alveolis maxillarum duplici  
serie locatis, cum vesiculis membraneis successive con-  
crescunt, infantiae quidem in serie exteriori, virilis au-  
tem aetatis in serie interiori.
- XX. Ossa ex sui generis fibris solidis idoneo glutine ferrumi-  
natis, non vero e vasculis per *εμφραξις* coalescentibus, con-  
stantur.
- XXI. Nulla datur pars in corpore animali naturaliter se ha-  
bente ad vitam vel sanitatem absolute non necessaria.
- XXII. Glandulae non unice secernendis humoribus, verum  
& iis quadamtenus taliter quales post secretionem cernun-  
tur praeparandis inserviunt.
- XXIII. Bolum ne in laryngem labatur, non uvula descen-  
dens sed epiglottis reclinata impedit.
- XXIV. Dantur in intestinis crassioribus tum vasa lactea,  
tum motus peristaltici, etsi non aequae copiosi & insignes  
quam quidem in ipsis tenuioribus.
- XXV. Non omnis chylus per vasa lactea defertur ad sangui-  
nis torrentem, verum & venae mesentericae notabilem e-  
jus copiam absorbendo, immediate tramittunt ad venam  
portarum.
- XXVI. Inter pulmones & pleuram naturaliter nullus conti-  
netur aër.
- XXVII. Aër in pulmonibus sanguini non admiscetur, nec  
ullum vitale pabulum ei largitur.
- XXVIII. Submersi non ab aqua intra corpus ruente, sed  
per cohibitam respirationem impedito sanguinis per pul-  
mones trajectu extinguuntur.
- XXIX. Submersus vere mortuus vivificari nulla arte potest.
- XXX. Lienis usus est sanguinem ita praeparare, ut Hepati  
ad bilem ex eo secernendam aptam constituat materiam.
- XXXI. Quamvis maxima pars bilis per ductum cysticum in  
cystidem felleam regurgitet, negari tamen cum ratione ne-

quit per alias etiam vias bilem in eam deferri.

XXXII. Bilis natura est vere saponacea; & ejus usus ad sanitatem est indispensabilis.

XXXIII. Sudor & materia perspirabilis per eadem vasa excernuntur.

XXXIV. Quum quovis periodi lunaris tempore aliquae mulierum purgentur, nec ipsae viragines aut laboriosam vitam agentes, nullave plethorae universalis indicia de se praebentes ab hoc debito immunes cernantur; singularem plane & in nullis aliis partibus obviam uteri fabricam, quae topicam plethoram admittere possit, concurrere hic censemus. Quare vero inter animalia vivipara, si certam simiarum speciem excipias, solis Feminis propria sit hæc evacuatio; certo fere ætatis tempore incipiat & desinat; & interim periodice semper ingruat &c. veram ejus rei causam adhuc latere judicamus.

XXXIV. Conceptio non in uteri cavo sed in ovariis contingit.

XXXV. Nutritur embryo si non unice, certe maximam partem e liquore amnii per os attracto.

XXXVI. Colostrum lactis animalium viviparorum e sero sanguinis perfecto & oleoso-farinosa chyli parte concresecere putamus: & rationem quare nulla arte chemica verum lac parari queat hinc repetimus.

XXXVII. Cerebrum animæ, cerebellum vitæ prospicere inter speciosas magis quam veras hypotheses referimus.

XXXVIII. Quandoquidem sæpe suboritur in mente acerrima doloris partis pridem amissæ sensatio, etiam ex eo recte infertur animam non in parte affecta sed in sensorio communi sentire.

XXXIX. Sensorium commune ubique ad origines nervorum, minime vero in fixo aliquo encephali puncto statuimus.

XL. Ex constante effluviis sive spiritus illius rectoris, quo mediante canes suos heros & vestigia ferarum dignoscere & persequi norunt, diversitate, colligimus in cujusvis corporis organici mechanismo aliquod singulare, sive  
*idiosyncrasiam* adesse.

XLI.

- XLI. Sanitas bene definitur per eum mentis & corporis statum in quo actiones debitae tam utrique parti propriae quam communes diu, concinne, sine taedio exerceri queunt.
- XLII. Nihil magis insidiosum est vitae quam perfecta sanitas; & talem statum, si occurreret, cum Hippocrate haud cunctanter solvendum censeremus.
- XLIII. Sensu rigido perfecte sanus nemo dici potest; sed conditio quam sanitatem vocamus suam omnino habet latitudinem, intra quam si consistat sanus dicitur homo: qui termini in diversis subjectis adeo discrepant, ut unicuique homini propriam esse sanitatem jure dixeris.
- XLIV. Nihil sanitatem tam pulcre excolit, quam citra satietatem cibus vesci & impigrum esse ad labores. Interdum tamen in adsumendis genio indulgere, & tam cibum quam potum justo copiosius ingerere ad sanitatis constantiam facere cum Celso existimamus. Tutior tamen est in potione quam in esca intemperantia,
- XLV. Consueti, licet prima fronte inimica, conservant, mutata frangunt naturam.
- XLVI. Vita humana absoluta necessitate se tandem destruit: liquet ergo vana esse omnia *αδαναιαν* promittentia medicamina.
- XLVII. Morbus est opposita sanitati conditio: quae tum in solidis, tum in fluidis, tum in utrisque simul haerere potest.
- XLVIII. Solida morbosa evadunt, si rigiditate vel laxitate, elasticitate, sensibilitate, irritabilitate justo magis aucta vel imminuta peccaverint ejus fibrae; aut vasa nimia angustia vel capacitate, soluta continuitate, numero, magnitudine, figura, situ, nexuque incongruo laboraverint.
- XLIX. Fluida sanitatem turbant, si copia vel inopia, densitate vel tenuitate, acrimonia quacunque, nimio impetu vel lento nimis motu, depravata denique partium cohaesione vel miscela peccaverint.
- L. Si proportio vel aequilibrium inter solida & fluida turbetur, aut morbosae quaedam utriusque partis conditiones combinentur, morbus in utraque parte simul haerebit.

- LI. Levissima punctio digiti per exiguam aciculam facta potest esse lethalis, quum totalis brachii pedisque amputatio; profunda satis cerebri, cordis, ventriculi vulnera; totalis tubi intestinalis dissectio absoluta necessitate mortem non inferant.
- LII. Omnis Febris supponit vel stimulum in fluidis p. n. enatum, vel irritabilitatem solidorum aequo plus intensam; nec ultra quicquam ad Febrim requiri judicamus.
- LIII. Inflammationes extra minores arteriarum ramos in venis aut tunica cellulosa suboriri posse non videntur, & effusiones sanguineae, in tela cellulosa cadaverum ex validissima inflammatione extinctorum deprehensae, effectum potius quam causam morbi arguere putamus.
- LIV. Dantur revera Febres topicae, & vel parti cui inhaerent imminentem inflammationem praesagiunt, vel larvam aliorum morborum, puta, Diarrhoeae, Cholerae, Asthmatis, Doloris Ischiadici &c. induendo, delitescunt.
- LV. Nullam aliam agnoscimus in corpore partium sympathiam, quam quae e communicatione nervorum, vasorum, membranarum, aut vicinia locorum ortum ducit.
- LVI. Nihil arti salutari majorem intulit stragem quam cum Morbi sub generalibus nominibus comprehendi & exhiberi ceperunt.
- LVII. Quum idem Morbus saepe a contrariis causis ortum ducat; a levissimis circumstantiis & subjecti constitutione multum variet: liquet, ab Empyrico Morbi nomen non Morbum curante quid boni expectandum sit: Item, quod nulla queant dari universalia remedia.
- LVIII. Quamquam rerum non naturalium dissimilis applicatio rithmos operantis naturae mire turbet; doctrina crismum tamen pro imaginaria neutiquam est habenda.
- LIX. Materies vitiosa critice expulsa non semper causam morbi, sed saepe solum ejus effectum sublaturum arguit.
- LX. Quandoquidem omnis generis Medicamenta suas operationes mechanice perficiant; cuncta Amuleta, Medicamenta sympathetica, & strictè dicta specifica futilia pronunciamus.

F I N I S.

